

De Pensionibus Ecclesiasticis.

C A P. I.

De Veteri Usu Pensionum.

1 **A**nter recentiores corruptela & abusus pensionum invaluit. Inquit sub Paulo III. delectus Conventus Prælatorum: alius abusus, cum beneficia conferuntur, seu ceduntur aliis, irrepsit in constituendis super eorum fructibus pensionibus; imò quantoque cedens beneficium omnes sibi fructus reservat. Quia in re, illud est animadvertendum, nulla alia de causa, nulloque alio jure constitui pensiones posse, nisi ut quædam elemosynas, quæ in pios usus & indigentibus concedi debent.

2 En vetera exempla! Quum in Concilio Chalcedonensi Basilianus (a), & Stephanus de Sede Ephesina contenderent, placuit utrumque abdicare, ita tamen, ut ex redditibus memoratæ Ecclesiæ, nutrimenti gratia, & consolationis, annis singulis solidos aureos ducentos accipiant. Apparet vel huic causa vetus assignandæ pensionis, scilicet, ut pax conservetur, & ut resignans habeat, unde vivat. Apparet & moderamen pensionum, cum Ephesino Episcopo totius Asiæ Metropolitæ solidos duntaxat ducentos legamus assignatos.

3 Alia vetera pensionum exempla spectabant Episcopos, Clericosque, senectute, vel morbo confectos, vel hostium incursione dejectos, vel alia calamitate pressos. Scripsit S. Gregorius ad Episcopos Illyrici (b), ut Episcopos sedibus suis ab hostibus expulsos benigne reciperent: *Non quidem, ut per communionem Episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem, per viam pensionum sufficientia debeant alimenta percipere.*

4 Inde à sæculo XII. (c) desuper corruptelæ gliscere cœperant. Sæpe Episcopi cum titulatis præbendam per reservationem pensionis partiebantur. Sæpe in conferendo beneficia partem fructuum reservabant; sæpe beneficia sub annuo censu elocabant, ut ipsi tantundem, aut etiam plus meterent, quam Beneficiarius, qui, vix spiritum ducens, tum officium cul-

(a) Conc. Chalced. Act. 12. (b) S. Greg. lib. 2. ep. 43.
(c) Fleur. Inst. Jur. Eccles. p. 2. c. 25.

cultus divini, tum reparationes Ecclesiæ neglexit. Hinc novo jure pensiones restrictæ sunt (a), ut Beneficiario congrua sustentatio supersit. c. 30. de Præb.

5 Schisma Avenionense turbavit omnia. Nonnulli Præsules, quibus tot beneficiorum cumulus ruborem excussit, partem eorum resignarunt, sed tanta pensione oneratam, ut titulatus instar conductoris esset. Fuere pensiones & assignatæ hominibus, qui nec serviebant, nec unquam servierant, nec servituri erant; & non raro laicis. In Concilio Tridentino instantiæ factæ sunt, ut pensiones novellæ abolerentur, aut ad veterem formam reducerentur. Tum tamen à Concilio aliud impetrari non potuit Decretum (b), quam, ut imposterum omnes Cathedralis Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille; & Parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annum valorem non excedunt, ab omnibus pensionibus, aut reservationibus fructuum absolventur.

6 Reliquit in reliquis S. Synodus auctoritati Episcoporum (c), ut uberiore falce pensiones novellas resecent. Refert Scriptor de S. Carolo: *Igitur neque pensionis vel minimum cuiquam Ecclesiæ onus imposuit unquam, & si quis forte per auctoritatem superiorem obtinere vellet, contra totis viribus pugnavit. Cum ex Præposituræ facultatibus ex suis quidam, quo plurimum utebatur, annuam pensionem sibi fere impetrasset, ea Carolus, ut auferretur, statim effecit. Neque alios postea unquam conari aliquid simile est ausus.*

7 Absit tamen, ut inde S. Carolus nullum locum justæ pensioni concessisset. Sacerdoti tantum pensionem concessam scio. *Is cum Ecclesiæ diu utilem sane operam pro doctrina, virtuteque sua navasset, demum multi laboris Parochiam habens, infirmaque valetudine confectus, cum eam relinquere cogeretur, neque aliunde haberet vitæ sumptum, moderatam pensionem ex Ecclesia sua, quæ erat ex locupletioribus, à Carolo accepit.*

8 In reliquis S. Carolus fructus suos unicuique Ecclesiæ, Presbyterisque singulis integros relinqui curavit vehementer, & effecit. *Eo namque primum Ecclesiam capescente, vel magna ex parte, vel toti alienis hominibus erant reservati: ex quo fiebat, ut, qui essent aliquo numero Presbyteri, sacerdotia recusarent, quorum facultatibus pro dignitate vitæ cultum minime possent conservare. Qui vero accipiebant, prævi pretii homines, neque auctoritate satis muneri suo face-*

Cap. 2.
Ibi.

(a) Fleur. l. c. (b) Trid. sess. 24. c. 13. (c) In vit. S. Carol. lib. 7. c. 35.

re valebant, ut præter Sacerdotis, ut tempora sunt, ex ea re contemptum, neque sacra suppellex pro decori parari, neque refici, vel ornari Ecclesie, neque sarta tecta haberi possent.

9 Inter corruptelas recentiorum pensionum referre oportet, quod multi viderentur beneficia, sine intentione eis deserviendi, captare, ut cum pensione permutarent; hinc & alii ea occasione palam illudebant Canonibus, qui pluralitatem beneficiorum vetant. Nonnunquam Pensionarii sunt similes illis, qui beneficia sub modico stipendio elocant. Plerumque per pensiones fit, ut unus stipendia plurium sibi vindicet. Faciunt & pensiones, ut non habeatur de meritis promovendorum justa discussio: ocluditur enim fere semper pauperibus aditus ad beneficia quia nulli gratis ad beneficia superest accessus. Quis reliquas artes à vitio simoniæ excusare vellet? Concluditur ergo merito, postulari potuisse justissimæ integram abolitionem pensionum, quia usus in tantum obusum degenerasse videtur, ut vix alias remedium sperari possit.

Cap. 3.
De caus.
hodiern.
pension.

10 En causas, ex quibus hodie pensiones concedi solent! Harum tres recensentur, scilicet pacis causa, quando beneficium est litigiosum, altera est causa resignationis, & tertio permutationis, ne resignantes, vel permutantes nimium dispendium patiantur.

11 Ast an hæ causæ omni exceptione majores sunt, ut excusandis vulgaribus pensionibus suffragari queant? Quantum ad causam compositionis rescripsit Alexander III. de beneficio Ecclesiastico in litigium deducto, quod transigi super re sacra, & litigiosa, utpote beneficio, non potest. Etenim res sacræ, ut possideantur; aliquo dato, vel retento, seu promisso in vim annuæ pensionis, speciem credimus habere simoniæ. Refert. c. 7. de Transact.

12 Quum ergo Innocentius III. alibi toleraret ex arbitrio judicum impositam pensionem pro compositione litigiosi beneficii, ea Decretali haud excusantur vulgares pensiones, quæ pacis causa mutua litigantium pactione ineuntur, etsi eas iudex confirmaverit. Ait Fagnanus (a): Oportet, ut hujusmodi compositiones, (qualis occurrit in hoc Decretali) super beneficiis, ad hoc, ut valeant, & excusentur à simonia, capiant principium ab auctoritate Superioris, & non à pactione partium, ut probat hæc litera ibi: "non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum." Quamobrem, qui prius faciunt inter se compositionem, & postea adeunt iudices, ut interponant auctoritatem, non excusantur secundum bonam

(a) Fagn. ad c. 21. de Præb.

conscientiam, quominus incidant in vitium simoniæ. En dicte Decretalis restrictionem. c. 21. de Præb. & Dignit.

13 Quantum ad causam resignationis, & permutationis passim invaluit, quod resignantes in favorem tertii, vel permutantes ad supplendam tenuioris beneficii æqualitatem sibi annuas pensiones reddendas, aut redimendas, sæpe sæpius reservent. Quid alienus est & à veteribus, & recentioribus Canonibus? Olim Synodus Chalcedonensis statuit: Siquis translatus est ab alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesie, vel Martyriorum, quæ sub ea sunt, aut Ptochochiorum, aut Xenodochiorum rebus in nullo, per reservationem pensionis communicet, quia dimisso officio illius Ecclesie, quæ resignata, vel permutata est, & titulus percipiendi, & participandi quodammodo fructus expirat, ut pensio sine titulo exigi videretur.

14 Novo jure declarat Urbanus III. honestati esse contrarium, & proculdubio simoniacam continere pravitatem, quod quidam Præbendæ suæ cedant, & juri renuntient, ut majorem Præbendam obtineant, vel ex hoc certam pecuniæ summam, vigore pensionis, consequantur. Sic enim gratis non reddunt, quod gratis acceperunt. c. 5. de Rer. Perm.

15 Quid inde salubrius, quam ut Pensionarii, si quidem tuti esse velint, meminerint, bona Ecclesiastica non superesse, nisi ad alimoniam ministrorum Ecclesie, & subsidium egenorum. Ait Concilium Aquisgranense ann. 816. (a) Fideles nanque, fidei ardore, & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, & celestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & milites Christi alerentur, & Ecclesia exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.

Cap. 4.
Leg. Pen-
sion.

16 Et vero ea est conditio piorum reddituum, ut nec actuales ministri, multo minus Pensionarii ex iis vivere possint, si aliunde habeant, unde vitam transigere possint. Juxta S. Augustinum (b): Si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autem privatim, quæ nobis sufficiant, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum.

17 Et quia pensiones via dispensationis à suis titulis aveluntur, opus denique justa causa est dispensationis. Sic inter recentiores Interpretes pronuntiat Guilielmus Benedictus (c): Causa imponendi pensionem semper injusta censetur, si non pertinæat ad utilitatem Ecclesie, cui pensio imponitur

(a) Conc. Aquisgr. c. 216. (b) S. Aug. ep. 50.

(c) Benedict. de fideic. p. 2. n. 36.

tur — sine ergo causa legitima, utilitatem Ecclesie pensionarie concernente, non valet etiam à Papa imposita pensio.

18 Quid? Quod & sæpe causa, quamvis ex parte Superioris legitima videatur, tamen ex parte supplicantis insufficientis esse possit, utpote, si pensio ob redimendam vexam extorta fuerit. Meminit harum vexarum Innocentius III. c. 31. de Reser.

Cap. 5.
De Autor.
à qua im-
pon. pens.

19 Novo jure pensiones veluti quædam divisiones, diminutionesque beneficiorum spectari cœperant, quia enim proventus singulis titulis inhærent, videbantur ipsa beneficia quodammodo dividi, aut diminui pensionibus subtractis. Tit. un. ut Eccl. Benefic. sine diminut. cons.

20 Supersunt in Decreto Gratiani veteres auctoritates, quæ vetant, divisiones Ecclesiarum, id est, Episcopatum fieri, nisi ex justa causa eas comprobasset auctoritas Synodorum. c. 6. 12. 39. & 41. VII. q. 1.

21 Novo jure id jus & in reliquis beneficiis obtinuit. In Concilio Turonensi statuit Alexander III. *Majoribus Ecclesie beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum Clericorum Præbendæ patiantur sectionem.* Refert. c. 8. de Præb.

22 Inde Innocentius III. rescripsit, à Decreto Concilii Turonensis esse alienum, quod aliquando ad unam Præbendam propter importunitatem petentium duo Clerici, divisim proventibus, eligerentur. c. 20. ibi.

23 Quippe, invalescente nova disciplina beneficiorum, jus proventuum veluti individuum cum titulo in illis Ecclesiis, quæ numeratum habent Clerum, censetur, ut dividi non possit. c. 25. d. t.

24 Haud ergo dubium est, eas divisiones, & diminutiones esse à Canonibus alienas. In Concilio Lateranensi III. prohibuit Alexander III. ne ab Abbatibus, Episcopis aliisque Prælatibus novi census imponantur Ecclesiis, aut veteres augeantur, aut partem reddituum suis usibus appropriare præsumant. c. 7. de Censib.

25 Hæc omnia Decreta successive ad pensiones per justam interpretationem prorogare placuit, quia per eas quasi quidam novi census Ecclesiis impositi, aut veteres aucti, aut pars quædam reddituum in alienum commodum subtracta videbantur.

26 Successit inde, quod pensionum impositio auctoritati Papæ reservaretur, quia dispensatione Canonum opus est. Refert Choppinus (a), jam pridem Senatam regium decrevis-

(a) Choppin. de sac. Polit. l. 3. tit. 2. n. 17.

se, nullam beneficiarie pensionis rationem haberi, nec pacitiae constitutionis ejusdem, nisi Romanus Pontifex consignatis ipsam tabulis sancisset, ac stabilisset. Synodus quoque Remensis ann. 1583. declarat omnes pensiones (a), & pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitas, & simoniacas.

27 Prævaluit jam præjudicium reservationis, ut locorum Ordinariis non aliæ relinquuntur pensionum assignationes, quam quas Vicariis præbere oportet, ut vicibus fungantur Præbendorum, aut Curatorum; qui sive ob delictum, sive ob imperitiam, sive ob ingruentem morbum, vel ob irregularitatem, vel dementia suspensi sint ab exercitio ecclesiastico. Trid. sess. 21. c. 6.

28 Si alicubi major superest Episcopis auctoritas, ea restringitur ad pensiones personales & temporales, quæ vitam Beneficiati haud excedunt. Papæ enim esse ajunt, dare pensiones reales, & perpetuas, ut & in Successorem beneficii prorogentur.

29 Porro talis Successor, ad solutionem ejusmodi pensionis ideo tantum tenetur, quia ipsos proventus, quibus pensio imposita est, percipit, non autem vi alicujus consensus personalis, unde & facilius vel annulationem, vel reductionem pensionis postulare potest.

30 In Gallia tamen pensiones reales in beneficiis curatis ægrius admittuntur. Hinc sæpe judicatum est, Successorem per obitum in beneficium curatum non teneri ad solutionem pensionis: etsi legitime imposita fuerit, si ipse Provisus nullum huic impositioni consensum præbuerit.

31 Prævalente indiscretiore usu pensionum ecclesiasticarum beneficia curata ab illa personali, realique servitute dispensare placuit, in quantum summam ducatorum centum secundum verum annum valorem non excedunt. Hinc stylus Curie inolevit, ut in signatura pensionis super beneficiis Parochialibus subjiciatur clausula: *dummodo ex fructibus dictæ Ecclesie centum ducati liberi pro illius Rectore, pro tempore existente, ad justam sustentationem, annuatim remaneant.* Per hanc clausulam apparet, provisionem esse conditionatam, in tantum ut ipse Pensionarius, vel resignans probare debeat, quod, deducta pensione, maneant centum ducati usualis monetæ, in valore regionis, ac Provinciæ, in qua situm est beneficium, ex certis fructibus, præter domum Parochialem, ad justam sustentationem Rectoris liberi, & integri.

Ep. Van-Espen T. II.

T

Hæc

(a) Synod. Rem. t. 12.

Cap. 6.
De benef.
fic. quæ
pens. Onc-
rar. poss.

32 Hæc summa à Concilio Tridentino definita est, ut congruæ portioni Rectoris consuleretur. In Gallia æstimatur hæc portio competens Parochorum, & Vicariorum ad trecentas libras gallicas. Hinc in actis Cleri Gallicani refertur edictum Ludovici XIV. quo declaratur (a), pensiones super beneficiis curatis non esse admittendas, nisi sine imminutione, aut restrictione summæ trecentarum librarum, quæ annuatim Titularium sustentationi libera, & ab omni onere immunis deputabitur, utpote ex certis fructibus, non comprehensis casualibus, & adventitiis Ecclesiæ oblationibus, quæ Parochis cedent, perinde, ac manuales distributiones Canonicis. Hoc exemplo oportet ergo & alibi, secundum mores cujuscunque regionis, justæ sustentationi Rectorum liberaliter providere, ne alias defectu competentis sustentationis cura animarum negligatur, aliaque incommoda suboriantur.

33 Sæpe beneficiis curatis & Præbendæ theologales, præceptorialesque æquiparantur, quia his nonnunquam incumbit; non tantum instructioni Clericorum, aut puerorum vacare, sed nec prædicationi verbi Dei operam navare. Sic in Gallia, Hispaniæque obtinet, quod nullæ pensiones admittantur in Canonicatibus, qui ex veteri instituto Magistris, & Doctoribus conferri debent.

34 Dicuntur nonnullæ Ecclesiæ & eo jure, vel privilegio gaudere, quod nulla earum beneficia pensionibus onerari queant. Et quid æquius? Alienum enim est ab omni ratione, quod fructus cedant sæpe uberiori proventu illis, qui nullum servitium præstant, ac ipsis, qui pondus diei, & æstus in beneficio ferunt.

35 In Gallia, & Hispania satis vulgare est, quod à pensionibus excusentur beneficia Patronatus regii, nisi ipsiusmet Regis consensus accesserit. Atque hoc exemplo & reliqua beneficia Patronatus laici, etsi mixti, à pensionibus liberantur, nisi Patronatus consensum præbuerit. Si Jus Patronatus laici per turnum à Patronatu ecclesiastico divisum appareat, pensio, quæ in turno ecclesiastico imposita fuerat, expirat morte resignatarii, si vacantia in turnum laicum incidat.

36 Vetere jure pensiones, quæ subinde Episcopis, Pastoribus, aliisque Clericis indigentibus ex bonis Ecclesiæ, cui actualiter non deserviebant, miserationis causa assignabantur, simplicem frugalis vitæ alimoniam spectabant, ut nihil fere minuere viderentur proventus Ministrorum, qui Ec-

Cap. 7.
De port.
Pension.

(a) Act. Cler. Gal. t. 2. p. 2. t. 13. art. 16.

clesiæ servitio vacabant. Scripsit S. Gregorius Etherio Episcopo (a), quod si verum sit, eum ita capitis passionem incurrisse, ut, quod mente alienata agere solet; gemitus, & fletus audire sit — alter in locum ejus ordinetur, sic tamen, ut quousque eundem in hoc sæculo vita tenuerit, sumptus ei debiti ad frugalem sustentationem vitæ de eadem Ecclesia ministrantur.

37 Recentior corruptela invaluit, quod propter acceptionem personarum aliquando vel omnes, vel præcipui fructus beneficii resignanti, vel Pensionario reservarentur. Quid turpius, inquit auctorum quidam, pensionarium, nec laborantem, nec seminantem manducare; beneficiarium, egenum, nudum, & pauperem mendicare? En vetus querelæ argumentum? c. 23. §. 3. D. 93.

38 Superest & hodie in stylo Curia, quod in beneficiis simplicibus nonnunquam pensiones vel ad omnes fructus, vel ad dimidietatem porrigerentur, in usu tamen Gallia, alibique hæc pensiones restringuntur ad tertiam partem proventum, ut competentia Beneficiati consultum sit. Sic anno 1571. præcepit Rex, ut ob publicum Ecclesiæ bonum, cunctæ, quæ etiam præcesserunt de beneficiaris pensionibus conventiones, vel constitutiones ad tertiam fructuum portionem reducantur. Atque hodie hæc pensionum portio potius per quantitatem pecuniæ, quam per quotam fructuum definitur solet, ut tolleretur occasio discordiarum, quæ ex communiione, & divisione fructuum oriri possent.

39 Absolvuntur & ab hac quantitate pensionum per pecuniam numeratam præstanda distributiones quotidianæ, aliæque fortuitæ oblationes ecclesiasticæ, quia non sunt de corpore beneficii, aut in fructibus Præbendæ non computantur, licet ex consuetudine Ecclesiæ, in cujus Præbenda pensio erat creata, distributiones non darentur ad manum, neque quotidie, sed singulis mensibus tantum, & earum loco daretur singulis Canonicis certa quantitas numeratæ pecuniæ.

40 In stylo Curia aliquando ex gratia etiam super distributionibus pensio conceditur, sed tum additur clausula: distributionibus quotidianis, & nonnisi præsentibus, & divinis officiiis interessentibus dari, & per eos lucrari solitis, & consuetis.

41 Reliquum est, quod in Gallia, & alibi pensio neque ad tertiam partem proventuum admittatur, nisi, detracta pensione, maneat congrua portio pro titulari (b). Prima enim

T 2

lex

(a) S. Gregor. Lib. 11. ep. 7. (b) 1. Cor. cap. 9.

lex est, ut, qui aliarum deserviunt, de altari etiam participent.

Cap. 8.
De Claus.
Pens.

42 In stylo Curiae supersunt diversae clausulae, quibus pensiones concedi solent. Sic in resignatione pensio reservatur ea clausula: *ne ex sua resignatione nimium dispendium patiatur, de alicujus subventionis auxilio provideri, &c.* Patet inde causam finalem pensionum esse alimentationem Pensionarii. Absit enim, ut Pontifex eam assignare velit aliis, qui alimonia non indigent. Finis ergo est providendi egenis de alimentis.

43 Post clausulam exprimentem quantitatem fructuum beneficii pensione gravandi sequi solet: *etiamsi super illis (fructibus) aliae pensiones, quas, illarumque summas &c. placeat habere pro expressis, & quae exprimi possint in literis, aliis forsam assignatae existant.* Hac clausula opus, quia secunda pensio, nisi prima exprimatur, nulla de jure foret. Si tamen haec pensio una cum priore, tertiam partem fructuum excederet, haud facile, etiam cum hac clausula in Gallia, vel Belgio, vel alibi admitteretur.

44 Vulgaris etiam clausula est: *ut Pensio sit libera ab omni decima, quarta, media, & quavis alia fructuum parte, nec non subsidio etiam charitativo, & quovis alio ordinario, & extraordinario onere, quomodolibet nuncupato &c. & quavis alia, etiam urgente, urgentissima, & necessario exprimenda causa, etiam ad supplicationem Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, canonice vel de facto, nunc, & pro tempore impositis, & quomodolibet imponendis; etiamsi in impositionibus hujusmodi caveatur expresse, quod Pensionarii quicumque pro rata pensionum suarum, quantumvis exemptarum, praemissis contribuere tenentur.* Quid clarius exprimere posset, solam causam alimentationis in pensionibus spectari? Si tamen tanta esset onerum impositio, ut, si haec a solo titulari ferri deberent, proventus beneficii nimium diminuerentur, indubie, non obstante hac clausula, Pensionarius ad partem onerum ferendam merito vocaretur; vel saltem ob haec onera, diminutio, vel moderatio quaedam pensionis, ut minus durantibus his oneribus, peti posset; praesertim, si pensio sit realis solvenda ab eo, qui pensioni non consensit, neque beneficium sub conditione solvendae pensionis accepit, ipsaque onera sint extraordinaria.

45 Additur in literis pensionis, *ut solvatur mediatim in Nativitate Jesu Christi, & Nativitate Joannis Baptistae.* Hac clausula apponi solet, quando termini solutionis non fuerunt in supplicatione expressi. In reliquis enim liberum est, re-

sig.

signanti & resignatario pro libitu plures, vel alios terminos solutionis definire.

46 Inde sequitur: *quod ille, vel quicumque alius Successor, qui in dictis festivitatibus, vel saltem intra 30. dies illarum singulas immediate sequentes pensionem praedictam per eum tunc debitam non persolverit, cum effectu lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat &c.* Benigna tamen interpretatione haec censure non incurritur, donec declaratoria sit data per judicem, & Pensionarius ea utatur, intimando illam adversario, vel Parocho, aut ponendo cedulones, quinimo in Gallia, & alibi censura mere styli censetur esse.

47 His subditur: *si vero per sex menses, dictos 30. dies immediate sequentes, sententiam ipsam animo, quod absit, sustinerit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem dicto beneficio perpetuo privatus existat, illudque vacare censeatur eo ipso, tibi (Pensionario) liceat ad idem beneficium liberum habere regressum, & liceat tibi vigore tui prioris tituli etiam possessionem propria auctoritate apprehendere, ac si illud minime resignasses.* Opus tamen & hic est declaratoria sententia judicis. In Gallia haec clausula, quantum spectat liberum regressum, nulla censetur. Ne tamen detur locus perfidiae, Resignatarius per sententiam judicis condemnatur aut ad solvendum, aut ad cedendum, si justae solutioni pensionum deest.

48 Apponitur & clausula: *quod pensio annullari, reducti, aut minui non possit.* Si tamen adeo sint diminuti proventus, ut, deducta pensione, alendo titulari non sufficiant, reductio peti, non obstante indulto, potest, maxime ab eo, qui impositioni pensionis non consensit. Sic & in Curia Romana reductio solet dari, praesertim Successori.

49 Juxta Regulam Cancellariae (a) nec literae assignationis etiam motu proprio cujusvis pensionis annuae super alicujus beneficii fructibus expediri possunt, nisi de consensu illius, qui dictam pensionem persolvere tunc debet. Hinc & hodierno stylo subjicitur clausula, *pensionem solvendam per N. cujus ad hoc accedit assensus, & Successores suos.* Exigitur ergo consensus, qui pensionem persolvere tunc, utpote tempore impositionis, debet: nam Successorum consensus non requiritur.

50 Juxta modernum stylum Curiae Romanae plerumque huic Regulae derogatur, quoties beneficium confertur absenti cum reservatione pensionis, praesertim, si resignans sit pacificus beneficii Possessor. Hoc casu expeditur signatura pensio-

nis

(a) Reg. Canc. de Resign. & Pens.

nis cum hac clausula: *Et cum derogatione regulæ de præstando consensu in pensionibus, attento, quod resignatio sit in favorem, & Orator, qui vere, realiter, & pacifice possidet, aliter resignare non intendit.*

51 Ajunt vix non omnes Interpretes, Papam proprio motu posse sine consensu resignatarii alicui beneficio pensionem imponere. In Gallia tamen hujusmodi impositio pensionis, aut derogatio ægrius admitteretur.

52 Subinde apponitur clausula, quod pensio debeatur, *licet nullum jus cedenti competat*; idque ad tollendas lites. In Gallia tamen pensio abusiva censetur, si Papa, etiam de consensu partis eam ad commodum ejus, qui nullum habet, aut prætendit jus in beneficio, concederet.

53 Dataria Apostolica observat, ut, quoties resignatur beneficium, quod personalem residentiam exigit, non admittatur resignatio cum reservatione pensionis, nisi in supplicatione exprimat tempus, per quod Orator illud possedit: si enim hoc breve est, rejicitur supplicatio, aut in calce ipsius respondetur: *Resignet absque pensione.* Idipsum practicitur & in permutationibus similium beneficiorum cum aliis nullam residentiam requirentibus.

54 Moderno stylo requiritur in resignatione, præsertim cum pensione, beneficium Parochialis, aut alterius residentiam requirentis ad minus trium annorum possessio; quavis ante requirerentur septem, aut sex anni.

55 In Gallia anno 1671. vetat Rex titularibus in beneficio curato, aut in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata resignare reservata pensione, nisi actualiter quindecim annorum expleto tempore inservierint, aut ratione morbi, vel infirmitatis notæ, & per Ordinarium agnitæ, quæ ad vitæ residuum inhabiles illos reddit, ut functiones suas continuent, aut beneficiis suis serviant, excusentur.

56 Nonnumquam succreverant fraudes, quod eo colore incompatibilitas beneficiorum tegetur, quia, dum utrumque simul retineri nequit quoad titulum, placuit, uno retento, partem proventuum saltem per pensionis reservationem ex dimisso beneficio decerpere. In Gallia injungitur iis, qui plures possident Canonicatus, ut unum optent, nec alios possint pensionibus gravare. In stylo Curie pro quocunque beneficio, seu curato, seu simplici, cujus collatio spectat ad Papam, & Orator sit præsens: si velit literas expediri in forma gratiosa, coram examinatore, & Notario præstandum est juramentum, quod ipse Orator tale beneficium non assequatur animo illud resignandi.

57 Censentur recentiores pensiones jure, & exemplo cujusdam beneficium, quia ex causa permutationis, vel resignationis loco beneficium reservari solent. Quemadmodum ergo beneficium ultra vitam non porrigitur, ita & pensio morte pensionarii expirat.

58 Sic & instar beneficium pensio alteri constitui non potest, nisi Clerico. Hinc & exemplo beneficium extinguitur pensio per contractum matrimonium, aut per professionem religiosam, nisi data, aut reservata sit pensio cum potestate transferendi.

59 Inde à Leonis X. tempore magis innotuerunt Papales facultates transferendi pensionem in aliam personam, quod tribus modis fieri solet, utpote aut obtenta clausula, cum Pontifex pensionem reservat, simulque facultatem concedit, eam in aliam personam transcribendi: aut vigore novellæ supplicationis, si scilicet postea partes Papæ supplicant, ut pensio, quam Cajus Titio solvit, extinguatur, & Sejo reserve- tur: aut denique jure privilegiorum nonnullis concessorum. Talia privilegia ajunt nonnullis Ordinibus esse concessa. In stylo Curie rarissimum hodie est usus earum translationum, quia hæ facultates fere nulli conceduntur, nisi Cardinalibus, aut aliis viris de Sede Apostolica peculiariter meritis, ut possint suos familiares in articulo mortis remunerare: & nec tunc solent concedi, ut totam transferre possint, sed vel tertiam, vel dimidiam tantum partem. Alibi ergo earum facultatum aut nullus est usus, aut & rarissimus.

60 In Gallia non potest pensio reservari ex causa permutationis, nisi in beneficio permutato. Secus est de stylo Curie Romanæ. Nam si beneficium permutatum sit incapax pensionis, vel totam ferre non possit, sæpe pensio reservatur super fructibus alterius beneficium, quod obtinet Resignatarius, vel saltem una pars super beneficio resignato, & altera super alio beneficio, & aliquando super beneficio tertii.

61 Corruptis sæculis invaluit & reservatio pensionis, quæ dicitur de consensu, seu ex causa lucrativa, quæ ita vocatur, quia pensio ex consensu titularis reservatur Apostolica auctoritate consanguineo, affini, vel amico &c. super fructibus beneficium. Dataria Apostolica plerumque has reservationes censet esse fraudulentas, quia constat, eas supplicationes, in favorem consanguineorum titularis, sive aliorum quorumcunque porrectas, fere semper rejici. In Gallia, & aliis Provinciis nullus est earum reservationum usus, quandoquidem pro regula invaluit, pensionem nec per Papam de consensu titu-

laris constitui posse ad commodum ejus, qui nullum jus habet, vel prætendit in beneficio.

62 Extinguitur & pensio libera, & absoluta pensionarii remissione, quia cuique liberum est, suo favori renuntiare. Potest hæc remissio fieri & propria auctoritate, licet pensio per Papam esset reservata, aut esset reservata pro alimentis ad commodiorem sustentationem.

63 Frequentissima hodie est pensionis redemptio per anticipatas quorundam annorum solutiones. Hæc remissio fieri consuevit auctoritate Papæ. In supplicatione exponit Orator, quod sibi certa pensio auctoritate Apostolica super fructibus beneficii N. reservata fuerit, ac tum subjungit: *quod ex certis causis animum suum moventibus, cessationi, extinctioni, & annullationi dictæ pensionis annuæ, illiusque reservationi hujusmodi in S. V. manibus sponte, & libere nonnullis tamen anticipatis, seu anticipandis solutionibus, & non alias, nec alio modo consentire proponat, & nunc etiam consentiat. Supplicat igitur &c.* Annos anticipatarum solutionum non exprimunt, quia eorum numerus, sicut & pretium de consensu partium dependet. Nec tamen in chyrographo, aut Procuratorio ulla fit conventionis de pretio mentio, quia simoniam proderet.

64 Anticipatæ solutiones ita constitui solent, ut justum pretium, seu Capitale annuæ pensionis reddatur, ad eum pene modum, quo similis quantitatis annui redditus vitalitii redemptio feret: atque ex hoc pacto fit, ut ipse pensionarius, mediante hac redemptione per quatuor, quinque, sex aut septem annos, æque ex beneficio resignato notabilem pecuniæ summam consequatur, quam si de una determinata summa conventum fuisset. Quantum periculum simoniæ, nisi simoniam non in re, sed in verbis sitam esse dicamus?

65 In signatura super extinctione, aut cessatione pensionis solet apponi hæc clausula: *quod sola præsentis supplicationis signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra, regula contraria non obsianie.* Ratio hujus styli est, quia extinctio pensionum favorabilis censetur. Pensiones enim odiosæ sunt. Et inde dolendum est, quod tam frequenter concedantur. In Canonibus enim, & Patribus recentiorum pensionum, & redemptionum nullum vestigium relucet, quia vix ab avaritia, aut alio vitio excusari queunt.

* 66 In morali doctrina quid salubrius, quam ex sententiis Patrum Clero paupertatis studium paucis commendare. Ex sententia S. Cypriani (a), *Pauperes electi, superbi neglecti. Nec fas-*

(a) S. Cypr. Tract. de Nativit. Christ.

fastus, nec altus circa Christi discipulatum aliquem obtinet locum. Christus pauper discipulos divites aspernatur. Ait S. Hieronymus (a): *Clericum ex inope divitem factum, quasi quamdam pestem fuge.* Juxta S. Ambrosium (b): *Petrus gloriatur, quod non habeat argentum, neque aurum: vobis pudor est, minus adhuc habere, quam cupitis; est ergo & pauperes gloriosa, quia est & beata— tamen non tam hoc gloriatur Petrus, quod argentum, & aurum non habeat, quam quod servet mandatum Domini, qui præcepit: nolite possidere aurum &c.* quid brevius verbis S. Augustini (c)? *Pauperes, inquit, esse debemus, quia ministri Dei sumus.* Audi Tertullianum (d): *Nec major ad pecuniæ contemptum exhortatio subjacet, quam quod ipse Dominus in nullis divitiis invenitur. Semper pauperes justificat, divites prædamnat.* Ecce, inquit Pontificale (e): *Si Deo contenti estis, salubriter ad Clericatum accessistis, quia vita vestra concordat cum nomine, & vita apparet in opere.*

TIT. XII.

De Unionibus Beneficiorum.

CAP. I.

De variis Speciebus Unionum.

1 **C**orruptis sæculis ad augendos proventus Ministrorum invaluerunt uniones beneficiorum temporales, & personales, quæ ad vitam cujusdam Personæ restringebantur. Harum hodie usus exolevit, quia eas Concilium Tridentinum (f) abrogavit.

2 Supersunt uniones beneficiorum perpetuæ, & reales, quæ inde ad perpetuam rei memoriam factæ dicuntur, quia spectant utilitatem Ecclesiæ, quæ nunquam mori censetur. Sic in dubio uniones beneficiorum in favorem Ecclesiæ factæ præsumuntur.

3 Hæc unio tribus potissimum modis fit. Primus modus per viam suppressionis expeditur, nimirum, si duæ vicinæ Ecclesiæ, quæ bello, aut calamitate dirutæ sunt, supprimuntur, ut ex utraque novum beneficium erigatur, & unum constituatur. Dum hoc modo Ecclesiæ uniuntur, privilegia, jura, & *Ep. Van-Esp. Tom. II. V bo-*

(a) S. Hieron. ep. 2. ad Nepot. (b) S. Ambr. lib. 7. Comment. in c. 10. Luc. (c) S. Aug. serm. 37. ad Frat. (d) Tertull. de Pat. cap. 7. (e) Pontif. Rom. exhort. ad prim. Tons. (f) Trident. sess. 7. cap. 4.